

Stephanus Galdeti

*Querit Magister Hughelinus in
tertio utrum Christus secundum
quod viator meruit de condigno*

Editor: Florina Hariga

work in progress
16.07.2026

Manuscripts:

P1 Paris, BnF lat. 16408

P2 Paris, BnF lat. 16409

Project NOTA-ERC

|| Querit Magister HUGHELINUS in tertio utrum Christus secundum quod viator meruit de condigno.

Primum videndum qualis generis volutiones habuit anima Christi. Et ponuntur de hoc et alii videndum propositiones.

5 Prima: cuiuslibet mentis beate volutiones ad Dei complacentiam colligate sunt perfectoris generis volutionibus cuiuslibet alterius mentis non beate.

10 Secunda propositio: omnes elective volutiones que fuerunt in anima Christi fuerunt colligate et proportionaliter relate ad eius fruitionem beatificam.

Tertia propositio: nulla persona viatrix unquam tam perfecti generis volutionibus meruit, sicut fuerunt volutiones anime Christi.

15 Quarta: qualitercumque Christus voluit secundum naturam assumptam taliter libere voluit, quia persona divina operans secundum naturam creatam non necessitatur velle ad extra voluntate eterna. Nec necessitatur persona illa operari secundum naturam assumptam, igitur nullo modo nec increate, nec create, nec divinitus, nec humanitus create necessitatur frui.

20 Sed ad principale an meruit de condigno. Prima propositio. Primum notandum pro quo Petrus idcirco non condigno meruit, quia persona illa creata utique tenebatur ad quidquid melius operabatur. Et secundo ex inde melior reddebatur et sibi proficiebat et quasi ex hoc sufficienter premiabatur. Et tertio principaliter, principio totaliter extrinseco a persona Petri || tota huiusmodi bonitas principaliter atribuebatur. Et
25 per consequens intellectuali casu non est condigne mereri. Et hoc sit primum notandum.

P2 172r

30 Secundum notandum quod mereri Christum ex gratia non ex condigno dupliciter videtur vel potest aparere. Primo, quia hoc ipsum erat ex gratuita Dei bonitate vel voluntate, scilicet qua filius Dei dignatus est suppositare naturam assumptam secundum quam operatis gratuite nos redemit. Et hoc verum est, quia hoc ipsum predestinatione gloriosa eternaliter prevoluit Deus trinitas. Alio modo, quia supposita personali unitate Dei hominis tenebatur persona illa sic operari atque sibi sic operari proficiebat. Et cum hoc huiusmodi operari inputabatur principio
35 extrinseco, sicut dictum fuit de Petro.

3 primum] primum notandum *add. in marg. P1* 13 Christus] dubitari *add. in marg. P1* 19–20 primum notandum pro quo] *sup. lin. P1* 27 secundum notandum] *iter. in marg. P1*; notandum *add. sup. lin. P1* Christum] *sup. lin. P1* 29 voluntate] o *add. sed del. P1*

Primum horum non obstat, quia condignum non excludit gratiam, id est gloriosam Dei voluntatem, quia voluit Deus sic operari in natura assumpta, nec hoc notat condigne mereri. Sed notat valorem operis et sufficientiam operantis. Reliqua vero que adduntur vera nota sunt, scilicet quod tenebatur, quod sibi proficiebat quod atribuebatur vel

atribuendum erat huiusmodi operari principio extrinseco. Patent hec. Tertio notandum quod condignitas in opere persone Christi vel notat valoris acceptabilitatem in se vel notat actualem acceptationem pro aliis. Primo modo digne et sufficienter est valor iustitie in se. Secundo ex mera voluntate gloriosa voluntate redditur meritum pro aliis.

Prima: quolibet operatio electiva Christi magis debet atribui seu inputari persone Christi quam alicui angelo sua spontanea culpa, quia nullus angelus habet aut habuit in sua potestate omnes causas sue ascensionis, sicut Christus.

Secunda conclusio: qualitercumque esse vel fore pro mea vel electorum salute Christus voluit voluit caritate infinita et infinite, scilicet diligente iustitiam, id est voluntatem divinam et cum hoc amore finito secundum naturam humanam. Patet de duplici voluntate Christi.

|| Pro hiis dicuntur tria. Primo quod Christus eque clare vidit se passurum de futuro in verbo, sicut se pati cum patiebatur, et nunc se passum fuisse cum passus est, quamvis tunc contingenter, nunc necessario.—

P1 108r

Quoad secundum dicitur quod tanto qua conatu et tanto fervore fruitionis ferebatur in Deum cum erat anima eius tristis usque ad mortem, sicut nunc cum est habens corpus impassibile et immortale.

Quoad tertium dicitur quod ab instanti, ymo in instanti, sue conceptionis seu potius unionis secundum humanitatem fuit heres universorum. Constitutus et hoc clare notat. Sed quomodo constitutus dicitur post resurrectionem intelligendum sic ut exponit MAGISTER, sicut illud *dedit illi nomen quod est super omne nomen*, et illud *data est michi omnis potestas*, unde dicit MAGISTER quod “hoc intelliguntur

5 atribuebatur] principio *add. sed del. P1* 7 tertio notandum] tertii notandum *add. in marg. P1* 11 prima] conclusiones *add. in marg. P1* debet] *sup. lin. P1* 14 Christus] *sub lin. P1* 15 secunda conclusio] *iter. in marg. P1* 16 voluit²] *sup. lin. P1* 17 finito] *sup. lin. P1* 19 vidit] quin ymo eque † *add. sed del. P1* 20 cum] passus *add. sed del. P1* 25 immortale] et hoc fruitione partis superioris etc. *add. sed del. P1* 26 ymo in instanti] *sup. lin. P1* 27 conceptionis] etiam *add. sup. lin. sed del. P1* seu — unionis] *sup. lin. P1* 28 constitutus — notat] *sup. lin. P1*

secundum illud tropum in *Scriptura creberimum* quo dicitur res fieri quando inotescit". Quod enim ante resurrectionem innotum erat, post in evidenti positum est, ita ut sciant hec homines et demones, *ut scilicet in nomine ens omne genu flectatur celestium et in fervore et omnis lingua confiteatur*. De humana dicit cum eo ipso quod natura humana fuit assumpta in unitate suppositi eo ipso constituta super essentiam creatam, quod sequitur intelligitur quoad divinam naturam etc.

Tertia conclusio: omne operari elective in Christo secundum naturam assumptam fuit infinite iustitia actualis. Patet, quia ex infinito amore divine bonitatis vel iustitie operabatur persona Christi. Item quodlibet huiusmodi operari habuit circumstantiam non solum infinite bonam, sed infinite bonificantem ac dignificantem ipsum huius actum et infinite augmentem eius bonitatem et || inputabilitatem.

P2 172v

Et ex hoc solvitur instantia que passus fieri quod Deus infinite bonitatis existens concurrit cum Petro merente sicut filius Dei cum humanitate assumpta. Patet diversitas, nam concursus Dei cum Petro non auget inputabilitatem, ymo magis minuit, nam est extrinsecus. Nec Deus operatur ipso operari Petri, quamvis illud operari agat in Petro. Filius autem Dei non solum operatur cum Patre et Spiritu Sancto accidens nature humane Christi, ymo illis actibus agebat. Nam laborabat Filius Dei, predicabat, ieiunabat, orabat, patiebatur etc. Deus autem non sic cum Petro agit create seu creato agere, sed solum in creato agere.

Sed, quia de circumstantia Spiritus Sanctus respectu cuiuslibet meritorie operationis nunquid dignificat? Et videtur quod sic, quia caritas creata dignitas et maior magis, igitur multo fortius in creata. Et hoc viderentur debere dicere illi qui penitunt Spiritum Sanctum dari menti et illabi per modum forme habitualis et gratie, ut videtur MAGISTER, et HUGO, et de RIPA etc., et GREGORIUS aliquid. Sed istud videtur bene dubium quod Spiritus Sanctus seu aliqua persona divina possit ad creaturam habere aliquam habitudinem quam non habeat aliam, nisi forsan habitudinem subsistentie, sicut ponamus de Christo. De hiis alias inquiri poterit etc. Sequitur quarta conclusio.

|| Quarta conclusio: quodlibet Christi operari elective in natura assumpta fuit acceptabile de condigno pro satisfactione etc. Patet, nam magis est vel fuit inputabile persone huius quam alica culpa spontanea

P1 108v

8 tertia conclusio] *iter. in marg. P1* tertia] *propositio add. sed del. P1*
conclusio] *conclusio add. sup. lin. P1* 29 et Gregorius aliquid] *sup. lin. P1*
34 quarta] *iter. in marg. P1* 36 persone huius] *sup. lin. P1*

alicui creature etc.

Quinta conclusio: impossibile est dari tam malam iniustitiam quam bona este aut fuit Christi iustitia actualis, nam si foret quantumlibet nobilis creatura ex infinito odio operans nulla esset maior possibilis
5 iniustitia et qualibet tali esset iustitia Christi incomparabiliter maior.

Ex quo sequitur quod quelibet latitudo volutionis Christi elective est acceptabilior quam infinita peccata si essent, ulterius quod nullius creature merita possunt quantumlibet parve latitudinem iustitie equi pari.

10 Sexta conclusio: operari Christi, licet fuerit aliququaliter infinite meritum infinite, tamen magis erat iustitia seu maior iustitia quam meritum. Et per hoc premittitur quod quodlibet operari iuste, est tanta latitudine || meritum quanta mercede premiandum est a Deo prevolitum, et tunc patet quod aliququaliter fuerit infinite meritum propter infinitatem
15 glorie extensivam. Secunda pars patet, quia ad plures electos et ad maiorem intensive gloriam potuit acceptari et non magis quam fuit iustitia.

P2 173r

Primum corollarium: licet persona Christi ex proprio valore operata fuerit secundum naturam assumptam, tamen hoc fuit ex gratuita Dei
20 eterna electione ex qua predestinatum fuit ut humanitas illi verbo divino uniretur et verbum per illam operaretur. Unde AUGUSTINUS in libro *De predestinatione sanctorum*: “ex gratia Dei est ista humane nature tanta et tam excelsa subventio ut quo attoletur altius non haberet”, et alibi: “in rebus per tempus ortis summa gratia” etc.

25 Secundum corollarium: quod relatio valoris meriti Christi ad electos est ex summa gratia eternaue electione gratuita, scilicet ut huius operari Christi sit pro electis. Patet, quia hoc ipsum voluit Christus, scilicet operari pro electis et satisfacere ut Deus eternaliter et ut homo temporaliter. APOSTOLUS: *iustificati gratis in sanguine ipsius pacem habeamus ad Deum*, id est conformemus nos voluntati divine.

Et hinc est quod non quodlibet operari suum fuit meritum nostre redemptionis et sic aliquod tale manet absque remuneratione seu premio alio a se. Et forsam quoad hoc locum habere potest illa distinctione de efficacia et sufficientia qualiter pro omnibus meruit quoad sufficientiam
35 pro solis electis quoad efficaciam. Videtur etiam hoc pene totum stare in distinctione de acceptatione divina habituali et actuali ista possent magis explicari. Obmitto.

Tertium corollarium: licet in infinitum maiorem gratiam babtismalem

2 quinta] *iter. in marg. P1* 10 sexta] *iter. in marg. P1* 18 corollarium] *iter. in marg. P1*
25 corollarium] *iter. in marg. P1*

et maiora merita electis Deus potuit conferre ex valore operis Filii sui, tamen hoc ipsum quod factum est gratiose factum est. Et ultra condignum nisi capiatur condignum pro eo quod ipse vult esse vel fieri.

5 || Quartum: licet creatas volutioni intensiores potuit anima Christi
|| recipere, nunquam tamen fuisset in ea duplo maior iustitia, quia *P2 173v*
circumstantia Filii Dei non potest duplari.